



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XXXIII. De Lege positiva, antiqua & nova. ad q. 98. & seq.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

sa dispensat in votis, quorum obligatio est juris tam divini, quam naturalis. Tertio. Lege ufucapionis auferuntur & occupantur bona aliena, quod rursus est legi naturali contrarium. Quarto. Jure naturæ mutuo consensu clandestino contractus matrimonialis perficitur, & tamen hunc contractum jus positivum Tridentini invalidat.

Respond. Neque in istis exemplis intervenire aliquam formalem mutationem, aut dispensationem; sed tantum aliquam mutationem materiæ vel objecti. Nam quia fidelium voluntates Summo Pontifici tanquam Christi in terris Vicario moraliter sunt subiectæ, & subordinatæ, potest ille ex gravibus causis illorum consensum morali-

ter immutare, vel irritare, quo factò lex de indissolubilitate matrimonii, de redditione voti, &c. definit obligare, & sic patet responsio ad 1. & 2.

Ad 3. Resp. Lege ufucapionis non occupari alienum, sed acquiri proprium, atque dominium ab uno in alterum transferri, quod omnino rationi & æquitati naturali est congruum, quæ dicitur, intuitu boni communis à supremo Magistratu vel alti domini rerum proprietates & dominia aliquando auferri, vel ab uno in alterum transferri posse & debere.

Ad 3. Resp. Clandestini matrimonii valorem jure naturali tantummodo permissum esse, cui juri permissivo humanâ potestate aliquid addi, vel detrahi posse extra dubium est.

## DISPUTATIO XXXIII.

DE

### Lege Divina positiva antiqua & nova

ad q. 98. & seqq.

**L**egis Divinæ necessitatem S. D. q. 91. a. 4. probat hæc ratio: Hominem elevatum in finem beatitudinis supernaturalis oportebat dirigi in finem illius beatitudinis: hoc autem non præstabat lex naturalis, quæ nec finem naturalis felicitatis transcendit, neque actiones particulares satis determinat: Neque præstabat lex humana, quippe quæ tantum versatur circa actus externos humanæ cognitioni, & judicio subiectos: neque omnia vitia prohibere, aut punire potest. Debit itaque dari lex Divina, quæ etiam interni actus ad honestatem supernaturalem in particulari dirigerentur, & vitia beatitudini opposita prohiberentur, unde psal. 101. dicitur: *Lex immaculata, testimonium fidele, convertens animas, &c.* Dividitur lex Divina in Veterem & Novam, seu Veteris & Novi Testamenti, de quâ deinceps.

### ARTICULUS I.

#### Quenam legis antiquæ, & novæ differentia?

##### SUMMARI A.

1. Quid sit antiquum Testamentum?
2. Quid novum?
3. Omnis causalitas gratiæ in quocunque statu pertinet ad novum Testamentum.
4. Legis Mosaicæ & Evangelicæ præcipua differentia.
5. Alia differentia accidentales.
6. Triplicia præcepta legis antiquæ.
7. Ceremonialia & judicialia erant figurativa.
8. Omnia præcepta moralia legis Veteris aliquo modo continebantur in Decalogo.
9. Quâ ratione moralia pertinuerint ad legem Veterem?
10. Quotuplicia fuerint præcepta ceremonialia?
11. Quotuplicia præcepta judicialia?

##### §. I.

##### Differentia antiqui & novi testamenti.

1. Quia lex antiqua etiam appellatur lex antiqui Testamenti, & lex nova novi Testamenti, evidendum imprimis, quæ sit utriusque Testamenti

notio & distinctio. Igitur Testamentum Divinum, ut docet Illustris. Reding. q. 15. a. 3. n. 4. significat universam Divinam promissionem & pactum, quo humana communitas sub certis legibus & ritibus aggregatur: idque post eversum primum Testamentum annexum statui Innocentiæ, quo promissa fuit posteritati ex Adamo propagandæ justitiæ originalis, sub conditione observandi Divina mandata, præcipue de non comedendo fructu ex ligno scientiæ boni & mali, duplex è S. Script. nobis innotescit, Vetus, & Novum. Vetus est promissio de conferendis temporalibus bonis populo Israelitico, & de Christo ex ipsorum sanguine nascituro, sub conditione præscriptarum & promulgatarum per Moysen legum, caeremoniarum, & Sacrificiorum, quibus ipse Christus, & gratia per ipsum conferenda significabatur. Hoc vetus Testamentum jam sumpsit initium à temporibus Abrahami; ad ipsum quippe primitus facta fuit promissio, quod ejus posteris tribuenda esset terra Chanaan, & quod in ipsius semine, h. e. Christo ex ejus sanguine

guine nascituro, *benedicenda essent omnes gentes.* Ipse quoque primus legem circumcisionis accepit, per quam familia Abrahami ab aliis gentibus discriminata jam in unam quandam Ecclesiam consignabatur: perfectionem verò suam vetus Testamentum accepit primum, quando Moyses assumptum volumen legis, quod tunc dici ceptum *volumen fœderis, legit audiente populo; illisque spondentibus: Omnia qua locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Ille verò sumptum victimarum sanguinem resperxit in populum: & ait: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Exod. 24.

2. Novi verò Testamenti nomine intelligitur Divina promissio, Christo DEO Homini facta de generis humani reconciliacione, gratia & gloria, tum ex opere operantis, tum ex opere operato hominibus conferenda, sub onerosâ conditione mortis & passionis subeundæ, velut indicatur Il. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, &c.* Quod testamentum in morte Christi perfectum, & consummatum, virtualiter post lapsum Adami jam inchoatum fuit, juxta doctrinam Angel. Doct. 1. 2. q. 106. a. 1. ad 3. dicentis: *Nullus unquam habuit gratiam Spiritus S. nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam, per fidem autem Christi pertinet homo ad Novum Testamentum.* Unde quibuscunque fuit lex gratiæ indita, secundum hoc ad Novum Testamentum pertinebant.

3. Ex quibus cognosces, omnem causalitatem gratiæ sive in lege non scripta, sive Mosaica, maxime per sacramentum delevitum peccati originalis, pertinere ad novum Testamentum, cui soli annexa est promissio gratiæ: eamque potissimam esse inter utrumque Testamentum differentiam: quod vetus Testamentum contineret promissionem temporalium, umbram, & figuram gratiæ per Christum conferendæ; unde & dicitur Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex;* Novum verò ipsam exhibeat gratiam & veritatem, juxta illud Jo. 1. *Gratiæ & veritatis per JESUM Christum facta est.*

4. Ipsa lex Mosaica, non quia à Moysè instituta, sed promulgata, ipso DEO authore & dictante per Angelum, prout dicitur Act. 7. *Accepistis legem in dispositione Angelorum,* dicitur lex veteris Testamenti, lex fœderis, imò metonymicè pactum, non quia formaliter erat ipsa Divina promissio, sed quia erat conditio, cui adjuncta erat futurorum bonorum promissio, ut habetur Exod. 19. *Si audieritis vocem meam, & custodieris pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus; mea est enim omnis terra, &c.* Unde & Arca & Tabernaculum, in quo tabulæ legis asservatæ, dicta sunt arca & tabernaculum testimonii, vel fœderis. Cujus ea quoque est formalis & primaria differentia à lege nova Evangelica, quod sub ea ratione, quæ erat propria Veteris Testamenti præsertim in sacrificiis & sacramentis, quibus ille populus in unam Ecclesiam aggregabatur, nulla polleret efficaciam causativâ gratiæ, sed eandem tantummodo figuraret; aut siquam concomitantè conferendam ex opere operantis significaret, illud ipsum non haberet formaliter & ex me-

ritis veteris testamenti, sed concomitantè & in virtute novi testamenti, ad quod pertinet meritum fidei, sine quo in nullo statum conferatur gratia.

Plures accidentales differentias si expositas, distulerunt præterea, quod lex antiqua solis Hebræis data, & per Moysen promulgata; lex nova à Christo toti mundo data & promulgata; illa partim bonorum temporalium pollicitatione, partim penarum comminatione ad sui obedientiam inducebat, ideoque ab Apostolo prædicator appellatur; lex nova verò trahit amorem, & consideratione æternorum bonorum. Illa præceptis tam ceremonialibus, quàm judicialibus figurabat Christum venturum, & gratiam novi testamenti; ista continet ipsam exercitam veritatem. Unde & Lex antiqua fuit antiquata post passionem Christi: Lex nova verò Evangelica durabit usque ad finem mundi.

## § II.

## Quotuplicia præcepta Antiquæ Legis?

**T**riplicia erant præcepta antiquæ legis: moralia, ceremonialia, & judicialia, velut exprimitur Deut. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.* Moralia sunt præcepta juris naturalis, decalogo comprehensa. Ceremonialia sunt præcepta, quibus populus Israëliticus specialiter dirigebatur ad cultum divinum; cujus materia fuit quadruplex: primò Sacramenta, ut circumcisio, agnus paschalis, &c. Secundò Sacrificia, ut holocaustum, sacrificium pro peccato. Tertio sacra, hoc est res pertinentes ad sacrificia, & cultum DEI, ut tabernaculum, templum, altare, sacra vasa, &c. Quarto peculiaris observantia, ut erant certa festa, jejuniâ, prohibitiones quorundam ciborum, &c. Judicialia sunt illa præcepta, quibus populus Israëliticus ordinabatur ad bonam tum œconomicam, tum politicam gubernationem.

Ex his tam ceremonialia, quàm judicialia præcepta erant figurativa: Omnia quippe in figura contingebant illis. 1. Cor. 10. cum hac tamen differentia, quod præcepta judicialia magis ex consequenti & accessoria DEI voluntate essent figurativa, cum principaliter essent ordinata ad rectam gubernationem Reipublicæ; ceremonialia verò licet in universali essent ordinata ad Deum cultum, protestationem internam fidei, evitacionem idololatriæ, &c. in particulari tamen essent ad mysticas significationes principaliter ordinata: quod enim tale determinatum animal, e. g. hircus, agnus, &c. ad sacrificium deputaretur non erat alia ratio, quàm figurativa, & significativa mysteriorum novi testamenti. Numerus istorum præceptorum fuit ingens: Guilielmus Parisiensis 613. enumerat apud Suar. Unde non immeritò Act. 15. lex antiqua vocatur *jugum importabile.*

Quæres primò. An omnia præcepta moralia veteris testamenti contenta fuerint intra Decalogum? Respondeo: omnia fuisse contenta vel formaliter, vel virtualiter; virtualiter, vel ut principia in conclusionibus; vel ut conclusiones in principiis. Sic præceptum de dilectione DEI

& proximi, tamen expressum non esset formaliter in Decalogo, tamen virtualiter in illo continetur, eò quòd omnis lex in DEI & proximi charitate fundetur. Unde D. Gregor. hom. 27. in Evang. *Præcepta Divina sunt quidem multa per diversitatem operis, sunt tamen unum in radice charitatis.* Alia verò præcepta moralia magis particularia, ut quæ spectant ad virtutem Religionis, temperantiæ, justitiæ &c. ideo virtualiter continentur in decalogo, quia sunt tanquam conclusiones in suis principiis & fructus in semine.

9. Quæres secundò. Quomodo præcepta moralia pertineant ad legem Veteris Testamenti, cum potius videantur pertinere ad legem naturæ? Respondeo cum Illustriss. Reding loc. cit. n. 8. distinguendum esse in ejusmodi præceptis diversum ordinem. Nam primò per illa homo ordinatur ad honestum naturale tanquam finem naturæ rationali quæ tali proprium, & sic pertinent ad legem naturalem humanis mentibus à DEO auctore impressam. Secundò potest per illa homo sub lumine fidei divinitus revelatæ ordinari ad finem supernaturalem ejusmodi præceptorum observantiâ meritorie consequendum: & sic pertinent ad novam legem gratiæ. Tertiò per illa ordinabatur populus ad Messiam venturum, ut nempe observantiâ ejusmodi præceptorum sub promissione temporalium bonorum, majori puritate disponeretur ad Christum ex se nasciturum: ut enim D. Th. hic q. 93. a. 4. ait, soli Judæorum populo legem dari debuisse, quòd, cum promissiones de Christo Judæorum Patribus factæ sint, decerneret, cum populum, ex quo Christus nasciturus erat, quoddam speciali sanctificatione pollere. Unde etiam Apostolus Rom. 3. docet, illi populo credita fuisse cetera DEI: & sub hac postrema consideratione præcepta moralia propria sunt veteri testamento.

Quæres tertio. Quotuplicia fuerint præcepta ceremonialia? Respondeo: Illa à D. Th. hic q. 101. & 102. congruè reduci ad quatuor genera, nimirum sacrificia, sacra, sacramenta, & observationes ceremoniales. Cujus numeri rationem dat S. D. cit. q. 101. a. 3. quòd præcepta ceremonialia præcipuè fuerint ordinata ad cultum Divinum: ipse porrò cultus Divinus principaliter consistebat in sacrificiis, de quo passim in libro Levitici: ipsa sacrificia & cultus Divinus ulterius exigebant certum locum, vasa, & instrumenta sacrificandi, quæ nomine sacrorum comprehenduntur: unde alterum genus præceptorum de sacris, h. e. tabernaculo, arca, altaribus, thuribus, &c. Secundò exigebant specialem ad DEI cultum, sacrumque ministerium deputationem, quòd pertinebant sacramenta, & inde tertium genus præceptorum; Ac denique certos ritus, & observantias legales, quibus veri DEI cultores ab aliis discernerentur, quòd pertinent præcepta ceremonialia de observationibus, quæ quartum genus præceptorum absolvunt. Singulorum mysticas ac symbolicas significaciones exponit loc. cit. D. Th. & S. Script. Interpretes.

Quæres quartò. Quotuplicia fuerint præcepta judicialia? Respondeo cum eodem S. D. q. 104. a. 4. juxta quadruplicis ordinis distinctionem judicialia quoque præcepta in quatuor classes posse dispesci. Prima est eorum, quibus constituebatur certus ordo inter Principem, seu Magistratum & populum: secunda, quibus ipsi populares inter se; tertia, quibus populus ad extraneos; & quarta eorum, quibus domestici inter se, maritus & uxor, parentes & filii, dominus & servus ordinabantur. Prima classis continebat mutua officia Principis & subditorum; Altera officia civium, vendiciones, emptiones, &c. Tertia officia versus extraneos, uti bella, susceptiones peregrinorum, &c. Quarta domesticam conversationem &c.

## ARTICULUS II.

### De abrogatione & cessatione legis antiquæ.

#### SUMMARI A.

1. Lex antiqua abrogata per Christum.
2. Quo sensu dicatur eterna?
3. Non fuit abrogata ante passionem.
4. Sed in ipsa morte Christi.
5. Quo sensu aliqua præcepta antiquæ legis dicantur mortua, vel mortifera?
6. Lex quoad omnia præcepta fuit inæqualiter mortua.
7. Ceremonialia quando cæperint esse mortifera?

#### §. I.

An & quando lex antiqua fuerit abrogata?

1. CONCLUSIO PRIMA. Lex antiqua fuit abrogata per Christum. Est certa Catholicorum contra Judæos, ex D. Th. q. 103. a. 3. & 104. a. 3.

Probatum primò veteris testamenti autoritate, ubi Jer. 31. DEUS promittit: *Faciam domui R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.*

Israël, & domui Jacob fœdus novum non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Præterea. Ablato & mutato sacerdotio legis antiquæ, non potuit illa salva consistere, siquidem præcepta ceremonialia majori ex parte referuntur ad sacrificia & sacerdotium antiquæ legis: sed fuit ablatum sacrificium & sacerdotium veteris legis, ut habetur apud Daniele m. c. 9. fuit etiam à Christo mutatum partim per sacrificium cruentum in Cruce, partim per incruentum in ultima cœna, ubi Christus se exhibuit Sacerdotem non juxta ritum & institutionem legis Mosaicæ, sed secundum ordinem Melchisedech, prout de ipso dicitur Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Probatum secundò autoritate novi testamenti; præterquam enim quòd hanc veritatem corâ

P p

epistolâ

epistolâ ad Galatas D. Paulus propugnat, etiam ad Rom. c. 7. dicit: *Vos mortificati estis legi per corpus Christi.* Et Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Et S. Petrus Act. 15. *Quid tentatis DEUM imponere jugum [legis] super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus: sed per gratiam Domini nostri JESU Christi credimus salvari, quem admodum & illi.*

2. Dices. Quod est æternum, non est mutationi & cessationi obnoxium: sed lex antiqua in S. Scriptura sæpius dicitur æterna: ergo non est mutationi & abrogationi subjecta. Secundò, Christus dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere.*

Respondeo ad 1. Vocari æternam, vel primò quoad rem significatam, nempe Christum & Evangelium: vel secundò, quia diutissimè duratura, prout æternitas in S. Script. & apud Hebræos sæpius accipitur juxta SS. Interpretes: vel terciò, quia non habet alium terminum, nisi ipsi legi intrinsicè, & à legislatore intentum, nempe veritatem Evangelicam, quæ per mortem Christi instituta umbratilis illa & figurativa lex veteris testamenti non poterat ulteriorem sui durationem postulare.

Ad 2. Respondeo, sensum esse, quòd Christus non venerit ad tollendam illius legis observantiam, priusquam illius figuræ per suam mortem & passionem implerentur; tunc enim non amplius poterat esse locus umbris & figuris.

3. CONCLUSIO SECUNDA. *Ante Christi passionem lex antiqua non fuit abrogata.* Est contra Scotum, qui in 4. dist. 3. q. 4. §. quantum ergo, docet, saltem præceptum circumcisionis [quod facillè extenditur etiam ad alia præcepta] fuisse mortuum statim ab institutione baptismi.

Ratio juncta authoritati est: Tunc solùm lex vetus cœpit abrogari, quando lex nova cœpit obligare, novumque testamentum fuit conditum; sed novum testamentum non fuit conditum nisi in sanguine & morte Christi, neque ante ipsius mortem cœpit obligare lex Evangelica: ergo ante mortem Christi lex vetus non potuit abrogari. Minorem tradit Apostolus Hebr. c. 9. *Ideo, inquit, novi testamenti mediator est, ut morte intercedente &c. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Ruelus de tabernaculo, id est, sacerdotio & religione veteris testamenti loquens significat illud durasse usque dum Christus sanguinem fudit: *Prius, inquit, tabernaculum habet statum, & offeruntur munera & hostia, donec propalata fuit Sacramentorum via, & Christus per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta æternâ redemptione inventâ.*

4. CONCLUSIO TERTIA. *Tota lex antiqua fuit mortua, consummata per mortem Christi sacrificio in ara Crucis.* Ratio est: quia lex antiqua fuit alligata statui veteris Testamenti, quo proinde sublato etiam illa suam amisit efficaciam: atqui in morte Christi sublato est testamentum vetus, confirmato jam per mortem testatoris novo Testamento Hebr. 9. translato à Synagoga sacer-

dotio, impletis præcedentibus vaticiniis & figuris, consummatum per crucis sacrificium omnibus sacrificiis, in cuius signum statim post mortem Christi scissum est templi velum. Lucæ 23. ergo etiam lex antiqua in morte Christi mortua fuit & antiquata.

## §. II.

*An tota lex antiqua equaliter sit mortua*

Nota. Aliud esse præcepta antiqua legis, se mortua, aliud esse mortifera. Mortua eo dicuntur, quòd careant efficaciam obligandi ad sui observantiam; mortifera verò, quòd sine gravi peccato observari non possint; adeoque sui observatoribus animæ mortem inferant. Quo posito fit

CONCLUSIO QUARTA. *Lex Mosaica quantum ad omnia præcepta non fuit equaliter mortua.* Unde præcepta moralia quoad antiqua legis ritulum, & quasdam circumstantias ipsi statim proprias, ut est v. g. cultus Sabbati, fuerunt mortua; vigent tamen etiamnum quoad substantiam, sicutem ut sic pertinent ad legem naturæ, suntque confirmata per Evangelium.

Præcepta cærimonialia ita quoad substantiam sunt mortua, ut etiam sint observantibus mortifera, quia illius legis cærimoniz erant umbra, protestationes, annunciationes Christi venturi: sed manifestatâ jam Domini adventus, & Redemptionis veritate, non amplius est licitum prædicare vel annunciare adventum Christi futurum: ergo.

Præcepta demum judicialia sunt quidem quoad substantiam mortua, non tamen sunt per se mortifera. Sunt mortua quoad substantiam, quia ordinabantur tum ad bonum politicum Republicæ Israeliticæ, tum ad Chillum figurandum: sed tam figuræ Christi, quam Republicæ Israeliticæ expirant: ergo. Non tamen per se sunt mortifera, quia multa continent ex aequitate naturali deducta, publicæque tranquillitati accommodata, neque ad annunciandum Christi adventum præcisè ordinata.

CONCLUSIO QUINTA. *Præcepta cærimonialia antiqua legis à passione Christi usque ad divulgationem Evangelii fuisse mortua, non mortifera: ab hujus vero divulgatione etiam mortifera.* S. D. q. 103. a. 4. ad 1. Et quidem prior pars habetur exemplis S. Script. nam & Timotheus ab Apostolo Paulo post Christi passionem fuit circumcissus. Et Act. 19. Apostoli fidelibus præceperunt, ut abstinerent à suffocatis, quorum utrumque pertinebat ad cærimonias antiquæ legis. Ratio totius responsionis est: quòd post factam toto orbe promulgationem, & divulgationem legis Evangelicæ, non sit convenientius amplius exerceri ritus Judaica genti proprios, & Christi venturi protestativos; initio verò prædicationis Evangelicæ, ut facilius esset Judæorum conversio, & in unam Ecclesiam unâ cum gentilibus adunatio, poterant aliqui ritus Judaici ab Apostolis permitti, & bonâ intentione exerceri dummodo non fierent ut signa protestativa Christi venturi, aut ut media necessaria ad salutem.

## ARTICULUS III.

## De lege Evangelica.

## SUMMARI A.

1. Lex Evangelica habet formalem rationem legis.
2. Materia legis Evangelica.
3. Subiectum illius sunt omnes homines.
4. Initium legis Evangelicae.
5. Scriptura non est de ipsius essentia.
6. Durabit usque ad finem mundi.
7. Sine a Summo Pontifice dispensabilis?
8. Rationes in contrarium.
9. Fundamenta opposita solvuntur.

## §. I.

## Causa Legis Evangelicae.

1. CONCLUSIO PRIMA. Lex Evangelica habet formalem rationem legis verè & propriè dicta, cuius legislator est Christus Dominus.

Est de fide contra Sectarios nostri temporis, qui nihil volunt esse sub præcepto præter fidem. Constat primò ex variis Script., ut II. 33. Dominus Iudex noster, Dominus Legisfer noster, Dominus Rex noster. Ubi sermo est de Messia, seu Christo, unde præmisserat: Domino misereve nostri, te enim expellavimus, & ipse salvabit nos. Item Pl. 71. DEUS iudicium tuum regi da, &c. II. 2. De Sion exiit lex. Jer. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum: & abolegem meam in visceribus eorum. Jac. 4. Unus est legislator & Iudex, qui potest perdere, & salvare.

Constat secundò, quòd ipse Christus quoque potestatem istam legislativam sapius ostendit & usurpavit in præcepto charitatis Jo. 14. Mandatum novum do vobis. Et: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. In præcepto baptismi Jo. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. In præcepto Eucharistiae Jo. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Confessionis Jo. 20. Quorum remisistis peccata, &c. Et generaliter Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.

2. CONCLUSIO SECUNDA. Materia legis Evangelicae sunt actus tam interni, quam externi in materia virtutum moralium, fidei, & Sacramentorum.

De materia moralium virtutum constat: quia lex naturalis de actibus istarum virtutum fuit per Evangelium magis confirmata, uti cum Matth. 7. Christus dixit: Omnia quaecunque vultis, ut faciant homines, & vos facite illis. De fide & Sacramentis, ubi etiam comprehenditur Sacrificium nova legis patet, quia novum Sacrificium, nova Sacramenta, & plurius articulorum explicita fides in novo Testamento fuit determinata & præscripta.

Unde patet primò. In lege nova divina contineri solum præcepta fidei moralia & cærentionalia, non etiam judicialia: prout expressè tradit S. D. quodl. 4. a. 13. dicens: Legem novam R. P. Mez. g. Schol. Tom. II.

esse contentam præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratiæ. Patet secundò. Quomodo intelligendum sit antiquum axioma Theologorum dicentium, in nova lege nulla esse præcepta nisi fidei & sacramentorum. Sensus enim est, non quòd lex nova nulla habeat præcepta moralia, sed quòd peculiaria præcepta distincta à præceptis naturalis & Moisaicae legis alia non habeat, quàm præcepta fidei, & sacramentorum: unde in moralibus lex tantummodo fuit confirmata.

CONCLUSIO TERTIA. Subiectum legis Evangelicae sunt omnes homines. Est de fide ex Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes &c. Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis, Marci ult. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creatura.

## §. II.

## Legis Evangelicae duratio &amp; dispensabilitas.

Quæres primò. Quandonam coeperit lex Evangelica.

Respondeo. Lex Evangelica in morte Christi accepit efficaciam radicalem obligandi, formalem verò respectu totius mundi cum fuit promulgata in die Pentecostes, quæ tamen ipsa virtus obligatoria ut redigeretur in actum exercitum, requirebatur prædicatio Apostolorum, per quam tolleretur invincibilis istius legis ignorantia. Ratio 1. p. est, quia Testamentum accipit suum robur ex morte testatoris: sed Christus erat testator seu conditor novi Testamenti: ergo ipse morte novum Testamentum & fœdus cum Patre initum accepit suum robur: sed in hoc Testamento etiam continebantur leges, sub quibus esset erigendus Ecclesiæ status: ergo eadem leges jam tunc in morte Christi acceperunt suum robur; Robur, inquam, non formale, sed radicale, quia tunc lex nondum erat promulgata.

Unde ratio 2. partis est: Tunc lex accepit virtutem suam formaliter obligatoriam, quando promulgabatur: sed fuit promulgata in die Pentecostes Hierosolymis, quando & Petrus ad Judæos dixit, Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, &c. Sicut ergo lex Pontificis Romæ publicata accipit formalem virtutem obligandi pro tota Ecclesia, ita jam tunc lex Evangelica habebat completam rationem legis illos, ad quorum notitiam hæc promulgatio pervenerat, actu obligantis. Quia tamen hæc ipsa promulgatio non poterat simul & semel omnibus tum Judæis, tum Gentilibus innotescere, eorumque invincibilem ignorantiam discutere, propterea, ut affirmat 3. p. nostræ responsionis, tunc successivè reliquis etiam notantum Judææ, sed etiam Gentilitatis, & totius orbis partes actu obligavit, cum remoto invincibilis

bilis ignorantia impedimento in audientium mentes promulgatio cepit influere.

5. Quaressecundò. Sine de ratione legis Evangelicæ quod sit scripta?

Respondeo negativè. Quia ante scripturam Evangelicorum lex Evangelicæ erat sufficienter promulgata & obligatoria, quatenus fuit cordibus inscripta per iudicium practicum intellectus non merè naturale sicut lex naturalis, sed spiritu gratia Divina elevatum; veluti indicatur Jer. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Et 2. ad Cor. 3. *Epistola estis Christi ministrata a nobis non atramento, sed spiritu DEI vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

6. Quares tertio. Quanto tempore lex Evangelicæ sit duratura?

Respondeo. Esse duraturam usque ad finem mundi. Et clarè deducitur ex Matth. 28. primùm allegato; ubi cum Christus mandasset Apostolis, *docere & baptizare omnes gentes.* subiunxit: *Eccè ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et adhuc manifestius Matth. 24. *Predicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Ubi exponente D. Th. q. 106. a. 4. ad 4. Christus loquitur de prædicatione Evangelii cū pleno effectu, *ita scilicet quod in qualibet Gente fundetur Ecclesia;* quo factò Christus dicit venturam consummationem, nempe sæculi, ut intelligunt D. Hier. ibid. & S. Chryl. ho. 49. in Matth. Idcirco frequenter in sacro textu regno, sacerdotio, testamento Christi tribuitur æternitas, quia nimirum durabit usque ad finem mundi in Ecclesia militante, & consummabitur in triumphante. Hebr. 13. *Apostolus Sanguinem Christi, sanguinem testamenti æterni vocat.* Pl. 109. *Christus vocatur sacerdos in æternum.* Lucæ 1. *Regnabit in domo Jacob in æternum.* Mich. 4. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.* *Potestas eius potestas æterna.* Dan. 7.

Ratio quoque est: Illa lex debet esse ultima, quæ immediatè conjungit fini ultimo, nullà alià mediante: sed lex Evangelicæ immediatè conjungit fini ultimo, siquidem vita & gloria æterna dantur intuitu fidei, sacramentorum, & bonorum operum, quæ per istam legem, & Christum ipsius authorem traduntur.

7. Quares quartò. Utrum lex ista saltem in uno alterove præcepto [nam in totum mutari non posse, manifestum est] per Summi Pontif. dispensationem mutari possit?

Fuit quorundam Canonistarum opinio, posse Summ. Pontif. autoritate non quidem humanà, sed Divinà & supernaturali extra materiam fidei dispensare in jure divino. Pro qua Suarez refert Panormit. in c. *proposuit. de concess. præbend. & Felin. in c. quæ Ecclesiarum. de constitut.* è quibus iste concedit, posse Sum. Pontif. ex causa commutare in istam: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Item, posse unico verbo consecrare Sacerdotem & Episcopum: Quibus ex parte accedunt Canus Relect. de penit. p. 5. & Sanch. l. 3. de matrim. disp. 6. n. 6. docentes, quòd in iis præceptis, quorum observatio in particulari casu

potest impedire majus bonum spirituale, ut contingit in voto & juramento, Summus Pontifex dispensare possit. Pro fundamento adducunt primò, quòd Christus Matth. 16. dedit Petro amplissimam potestatem, cum dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Ex quibus verbis colligitur, Summum Pontificem posse dispensare in voto, juramento, matrimonio rato, in vinculo spiritualiter Episcopum & Ecclesiam sponsam suam, in professione religiòsa, quamvis hæc omnia in multorum sententia sint juris Divini. Secundò jure Divino solus Episcopus est Minister sacramenti Confirmationis, & tamen ex gravi causa Summus Pontifex committit hoc ministerium simplici sacerdoti. Præterea refert Onuphrius in Chronico anni 1490. ex Volaterrano quòd Innocentius VIII. cum Saxonibus [dicendum erat, Norwegis; nam Saxones abundant vino, & in hunc diem in sua cœna Lutheranæ tenacissimè servant usum calicis] propter vini inopiam dispensaverit, ut in solo pane conficerent Eucharistiæ sacramentum; cum tamen sit juris Divini, ut Eucharistia conficiatur, & sacrificium fiat in utraque specie.

Respondendum tamen est cum S. D. in quodl. 4. a. 13. Suarez l. 10. c. 6. Reding q. 17. a. 7. n. 7. cum communi tam Theologorum, quam Canonistarum, Summum Pontificem in lege Divina etiam positiva dispensare non posse.

Ratio est primò, quia inferior non potest valdè dispensare in lege Superioris sine iusta & rationabili causa: sed homo non potest habere justam & rationabilem causam dispensandi in lege Divina: ergo. Minor probatur. Tunc datur rationabilis causa dispensandi in lege Superioris, quando casus emergit, in quo superior legislator legis obligationem remitteret, si illum prævidisset: sed hoc de DEO dici non potest: quia infinita sua scientia penetravit omnes casus & causas.

Ratio est secundò. Vel Divina voluntas vult alicujus legis obligationem se extendere ad talem casum, vel non vult? si vult; non potest inferior iudex dispensare, siquidem omnis efficacia præceptiva & legislativa hominum à Divina voluntate derivari debet. Si non vult, eo ipso nullà opus est dispensatione.

Ratio est tertio à posteriori: quia si daretur locus mutationi & dispensationi in lege Divina positiva, præsertim circa materiam & formam sacramentorum, Ecclesia DEI non haberet necessariam unitatem seu uniformitatem, quæ non in sola fide, sed vel maxime in exteriori quoque DEI cultu, Religione, Sacramentis ritibusque substantialibus fundatur: hoc autem repugnat intentioni & providentiæ Divini legislatoris, per suam Evangelicam legem unam, sanctam, & æternitatem Ecclesiam erigentis.

Ad 1. fundamentum contrariæ sententiæ Respond. id nimum probare, nam ex illius textus amplitudine inferri possit, Summum Pontificem æquè in uno ac altero præcepto juris Divini dispensare posse, quod traditioni & doctrinæ totius Ecclesiæ adversatur. Exponendus igitur est ille locus de iis omnibus, quæ Petri clavibus & iurisdictioni

ditioni subjecta sunt, inter quæ non est lex & potestas ipsius Christi Divini legislatoris. Quod additur de voto, & juramento, matrimonio rato, non est ad rem, quia hæc sunt juris Divini naturalis, de quo jam in Disputatione dictum, non esse formalem dispensationem sed tantum materiale, ex morali immutatione voluntatum, quæ Summo Pontif. tanquam supremo Pastori sunt subditæ.

Ad 2. optima est responsio August. à V. M. disp. 6. q. 2. Volaterranum, ex quo desumpta est illius dispensationis fabula, sic habere: *Nor-*

*wegia Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum sine calice vino sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum accescat. Ubi non dicitur sine vino, sed sine calice; imò supponitur consecratio cum vino: ideoque exponi potest, concessam Norwegis facultatem in aliquo vase clauso vinum consecrandi, ne de facili congelari posset: nève vinum mediante congelatione à frigore acedinem patiatur. Quicquid sit, una hirundo non facit ver, & unius scriptoris autoritas tanti non est, ut ipsi omnium ferè Doctorem cæcus assurgat.*

## DISPUTATIO XXXIV.

DE

### Lege humana positiva & scripta secundum se.

ad q. 95.

Cùm plurima sint in moribus humanis, quæ lex naturalis & Divina positiva indeterminate relinquit, humanæ communitati necesse fuit, ut per leges positivas ulteriorem morum disciplinam obtineret, quæ circa particulares actus dirigeretur, earumq; metu malorum coerceretur audacia, & tuta esset inter improbos innocentia, ut inquit Isidorus relatus à S. D. q. 95. a. 1. Hanc legislativam potestatem hominibus à DEO datam frequenter contra Hæreticos restatur sacra Pagina Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Rom. 13. *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, &c.* Eandem à lege naturæ derivatam & dependentem agnoscit S. D. citat. a. 2. Cùm enim omnis lex humana debeat esse iusta & rationabilis, etiam debebit esse conformis ad regulas rationis, quas inter eminet lex naturæ. Dividitur hæc potestas in Ecclesiasticam, & Civilem, seu politicam, juxta duplicem hominum communitatem: eùm enim sit duplex finis, in quem homines oportet dirigi: unus felicitatis temporalis, & naturalis; alter spiritualis, æternæ, & supernaturalis; ita duplex est hominum communitas, una politica & Civilis, altera Ecclesiastica; illam Civilibus, hanc Ecclesiasticis legibus oportet dirigi; nam *ubi non est gubernator, populus corrumpitur.* Prov. 11.

### ARTICULUS I.

#### In quibus resideat potestas condendi leges?

##### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Dividitur lex in generalem & particularem.                                     | 13. Similiter Concilium Oecumenicum.   |
| 2. In preceptivam & pœnalem.  | 14. Sed quid, Sede vacante, vel tempore schismatis?  |
| 3. In favorabilem & odiosam.  | 15. Episcopus competit potestatem legislativam dependentem à Summo Pontif.                   |
| 4. In Ecclesiasticam & civilem.   | 16. Exponuntur textus S. Scripturae in speciem contrarii.                                    |
| 5. Potestas legislativa non est in aliquo homine ex natura rei.                   | 17. Potestas legislativa etiam competit Prælati habentibus jurisdictionem quasi episcopalem. |
| 6. Data fuit ab autore natura integris communitatibus.                            | 18. Qualis potestas leges ferendi conveniat Concilio Nationali?                              |
| 7. Ab istis translata in supremos Magistratus.                                    | 19. Qualis legato, vel Nuncio Apostolico?  |
| 8. Imperator potest leges facere pro toto & solo Imperio.                         | 20. Qualis Cardinalibus?   |
| 9. Summus Pontifex potest ferre leges civiles pro suo statu Ecclesiastico.        | 21. Qualis Capitulo Sede vacante.  |
| 10. Qua potestate Sum. Pont. deroget legibus Imperatoris, vel disponat de regnis. |  |
| 11. Etiam femina legitima hæres regni gaudet potestate legislativa.               |  |
| 12. Summus Pontif. habet potestatem legislativam Ecclesiasticam jure Divino.      |  |

##### §. I.

##### Varia divisiones legis Scriptæ.

Lex scripta, quæ est constitutio, dicitur, esse que imperium, seu ordinatio rationalis ab habente legitime